



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt X. Dissertitur de iis quae obiicit Suauis, aut obiecta refert inter dicto
Missae celebrandi vulgari idiomate, ipsius precationibus submißè
pronuntiatis; auctoritati Episcopis impertitae in ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

1562,

C A P V T X.

Differitur de iis quæ obiicit Suavis, aut obiecta refert interdico Missæ celebrandi vulgari idiomate, ipsius precationibus submisæ pronuntiat is; auctoritati Episcopis impertita in Nofcomia, aliâque pia opera; permutationi postremarum voluminum, & legum relaxationibus Pontifici reseruat is.

PEr Decreta de Sacrificio datum sermonibus argumentum affirmat Suavis; cuius rei causam profert stili obscuritatem, ob quam illorum sententiæ dignosci non poterant. Sed mirum omnino est, ab hæreticis Transmontanis, qui libris obscurioribus ac difficilioribus oblectari videntur, eos frequenter adducentes, commendantes, & interdum imitantes, non intellecta fuisse illa Tridentini Decreta, quæ inter nos mediocrem cuiuscumque hominis captum non excedunt. Addit, de prohibitione dumtaxat Missæ in vulgari sermone aliquid à Protestantibus mussitatum; sed hoc ipsum *aliquid*, à mente Suavis attractum, modica videtur exhalatio, quæ in fulgur vertatur. Vix enim vnumquam super alio argumento adeò efferatus erumpit in rabiem aduersus Ecclesiam, Romanamque Pontifices, ut dicere non vereatur, *Celum ab illis terra fuisse suppositum*. Sed vna cum rabie fatis etiam ostendit cæcitatem, quæ illius comes esse solet. Conatur ille palàm facere, cuncta idiomata olim fuisse vulgaria, adeoque aliis temporibus Missam vulgari linguâ fuisse celebratam. Num ille vnumquam comperit id Catholicos inficiatos? Vocem vllam offendit in Concilio, quæ id ipsum tamquam suoapte ingenio malum damnaret? In extremo Cassone irrogatur anathema affirmanti linguâ tantùm vulgari Missam celebrari debere. Quam affirmationem sacrilega falsitas in dubitationem non reuocat, perspectâ veterrimâ consuetudine celebrandi Græco Latinoque sermone, cum ecubi his linguis homines minime loquebantur. Porro ad litis cardinem veniamus. Habetur in octauo capite: *Non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari linguâ passim celebraretur*. A nullo prudentis sinceræque mentis viro negari potest, huiusmodi Decretum expedire, positâ iam inter homines tantâ multiplicatione, ac tam frequenti mutatione sermonum; idque tres potissimum ob causas. Prima est, Quoniam non rarò ab vno idiomate alterius sententia omnino exprimi nequit: quapropter si variis in regionibus, aut in eadem variis temporibus,

poribus, variis etiam sermonibus celebrandum esset, difficile foret 1562.
eamdem prorsus sententiam retinere, adeoque unitatem Ecclesiæ;
ac semper colluctandum esset cum grauissimo labore, & inextricabilibus
controuersis, ad expendendas corrigendasque nouas interpretationes,
quas oporteret identidem confici in tanta locorum sermonumque
vulgarium varietate. Et compertum nobis est, quantæ fuerit operæ,
& quot implicata litibus latina solum translatio sacræ Scripturæ.
Quamobrem leges ipsæ, quæ supra reliqua popularem sermonem
postularent, vt à populo eas seruaturis perciperentur, eadem de
causa non transferuntur in varia idiomata, sed in sua pristina
lingua relinquuntur.

2 Altera ratio est, Sacerdotum per diuersas prouincias communicatio.
Etenim si suo quisque idiomate celebraret, plerumque Sacerdotes
extra patrium solum celebrare non possent.

Tertia respicit hæreses, ac præcipuè recentes, quæ (vti mos est iniquè
litigantium ignorantes Iudices cupere) concitant idiotarum
multitudinem ad ferendam de rebus Diuinis sententiam. Idcirco
magnæ prudentiæ est prohibere, ne Fidei nostræ mysteria quotidie
communi sermone circumferantur à vulgo, nisi pro illius captu à
sacris concionatoribus per explicationem ac prudentiam temperata.

3 Videtur autem malignitatis dentibus abreptum id quod Suauis
adducit ex duabus Pontificiis litteris, vt in contradictionem incur-
ratur. Altera est Ioannis Octau^a ad Scentum Pulchrum in Dal-
matia Principem, vbi affirmat, non aduersari Fidei sacræque do-
ctrinæ, quod Missa & Canonice preces lingua populari Illyricâ
recitentur: idem quippe Deus, qui linguam Hebræam, Græcam
& Latinam edidit, reliquas pariter ad suam gloriam constituit. Qui-
bus verbis tacitè refelluntur veteres quidam, qui tamquam illicitum
opinabantur, Diuinam psalmodiam proferri extra tria com-
memorata idiomata, vtpote eiusmodi, quæ in Crucis titulo fuerant
consecrata. Iam verò pro certo posito, id Fidei non opponi, cor-
datus Pontifex non recusauit in ea rerum conditione illi indulgere,
quò magis Dalmatas alliceret ad amorem studiumque nostræ Reli-
gionis & Apostolicæ Sedis obedientiam, ad quam antea conuersi
fuerant operâ S. Methodij illius Prouinciæ Apostoli, qui Romam
venit, rationem suæ atque illorum fidei Pontifici redditurus, cuius
litteras, quas diximus, secum retulit. Pontifex igitur, quemad-
modum obseruat Æneas Siluius in libro de Bohemorum origine^b,
cum sibi compertum esset, illic non sufficere numerum ministro-
rum,

^a Epist. 247.
& vide Baro-
nium an-
no 880.

^b Cap. 13.

1562. rum, qui ad Latini sermonis vsus idonei forent, quò ibidem disseminarentur ac radices agerent nostræ Fidei dogmata, permisit, ut quoniam id Religioni minimè repugnabat, Missæ, Canonicæque preces celebrarentur ipsorum sermone, ac recitarentur pariter laudes quædam diuinæ, eo idiomate iam editæ à quodam Constantino Philosopho. Atque hinc etiam patet, id tunc vniuersè, & sine Pontificis concessione licitum non fuisse; aliter S. Methodius inutilem huiusmodi petitionem illi non detulisset. Altera epistola, quam Suavis adducit, eòdem scripta fuit à Gregorio VII. sed post annos ducentos, adeoque id temporis, quo illic religio fuerat dilata, & simul cum ipsa sacræ Scripturæ Latinæque linguæ cognitio. Hæc autem Pontifex per eam epistolam Vratislao Bohemiæ Duci scribit: *Quia vero Nobilitas tua postulauit, quòd secundum Sclauonicam linguam apud vos Diuinum celebrari annueremus officium, scias, Nos huic petitioni tue nequaquam posse fauere, ex hoc nempe sæpe voluentibus sacram Scripturam liquet, non immerito Omnipotenti Deo placuisse, quibusdam locis esse occultam, ne si ad liquidum cunctis pateret, fortè vilesceret, & subiceret despectui, aut prauè intellecta à mediocribus, in errorem induceret.* Et aducit, tolerantiam permissionemque aliàs habitam minimè ad id sufficere, *cum primitiua Ecclesia multa dissimulauerit, quæ à sanctis Patribus postmodum firmata, Christianitate & Religione crescente, subtili examinatione correctæ sunt.*

ε Lib. 7.
epist. 11.

Quænam oppositio deprehenditur in his epistolis, aut inter se, aut inter ipsas, ac Synodum? Negauitne Gregorius VII. negauit Synodus Tridentina id quod scripserat Ioannes VIII. Ecclesiæ licitum esse cunctis sermonibus Deum laudare, ac celebrare diuina mysteria, quæ à Christo vni alteriue idiomati adnexa fuerant? Tantum abest quod inficiati sunt, ut illud potiùs affirmauerint: nam Gregorius illic scripsit, id ab Ecclesia toleratum aliàs fuisse; & tamen in sacris actionibus quod prauum est, illi tolerare non licet, idemque nos Concilium docet. Nam in laudato capite octauo solum dicit, haud sibi expedire visum esse, ut lingua vulgari passim celebretur. Ceterum oportet planè Suavis cum iis loquatur, qui nihil ultra vulgarem linguam didicerunt; dum productam Gregorij VII. epistolam dilacerans, vociferatur, *Probas institutiones promulgari tamquam corruptelas, & ab antiquitate tantummodo toleratas; abusus vero postea inductos, tamquam perfectas correctiones collaudari.* Quod spectat ad primam huius conuicij partem, vbinam vniquam Gregorius veterem illam consuetudinem corruptelæ nomine deturpauit, tametsi oppositam tamquam meliorem illi prætulisset? Quod

fi

si postea correctam dixit, hoc intelligitur de re ex se licita collata cum meliore, non de illicita ex se cum licita, prout accidit in cunctis humanis sanctionibus, in quibus usitata est inter Doctores ea loquendi ratio, quod lex Digesti sit in Codice aut in Authenticis correctæ, & quod Canon antiquiorum Decretalium correctus fuerit in Sexto, aut in alia recentiore Constitutione; nec tamen per hoc intelligitur huiusmodi lex aut Canon fuisse corruptela. Quod attinet ad alteram conuicij partem: Num est abusus postmodum inductus, quod vniuersè vulgari linguâ non celebretur? An fortè in vsu sunt aut vniuerso Orienti, aut certè maximæ ipsius parti aliæ veteres Liturgiæ, sacræ Missarum actiones, præterquam Græcæ aut Chædæ, idiomatica iamdiu demortua? In vsu sunt Occidenti præterquam Latino sermone, qui in Germania, in Gallia, in Anglia, in Polonia numquam vulgaris fuit? Quinam igitur audebat Suavis huiusmodi ritum calumniari tamquam abusum, & corruptelam postmodum inductam?

5 Ad aliud pergamus. Quod quædam Sacrificij partes submissâ voce proferantur, qui ritus ibidem à Concilio comprobatur, non ea sunt in causa quæ comminiscitur Suavis, ligneum sibi signum extruens, quod feriat pro sua libidine; sed sunt reuera maior illa veneratio, quæ rebus Diuinis oritur ex arcano, & maior ille pietatis sensus, qui excitatur & alitur à silentio; vnde fit, vt qui celebrant, & interfunt, possint attentius quæ aguntur mysteria meditari. Hæc autem arcani silentii quæ decentia in Sacrificiis, ostenditur quoque ex institutione Diuina in sua Lege veteri, vbi præsertim in capite decimo sexto Leuitici, cum solemne Sacrificium thuris describitur, iubetur solus Sacerdos ultra velum pergere, ibique precari non modo non auditus, sed ne visus quidem à populo. Quin idem pariter naturæ lumine ipsi ethnici in suis sacrificiis agnouere. Quod si huiusmodi consuetudo sensus veterum Patrum non consonaret, sed orta esset ab utilitate, mortalisque vitæ rationibus, sicuti Suavis blaterat; certè non extaret apud Ecclesiam Græcam, iam tot sæcula se iunctam ab obedientia Romani Pontificis. Præterquam quod expressa legitur ea consuetudo in vetustissimis Liturgiis S. Basilij & S. Chrysostomi, tametsi de quibusdam vocibus, quæ ibi elato sono dicuntur, cuiusmodi sunt voces consecrationis, Græcus ritus discreper à Latino.

6 Ex narratione Suavis, si parum fuit quod de Missæ Decretis differerebatur, plurimum fuit, quod de morum legibus vituperatum est. Ac primò refert, complures fuisse stomachatos in ea, quæ fuerant

Pars III.

Y

stabilita

1562.

stabilita de auctoritate Episcoporum in Nosocomia, in Gymnasia, & in alia pia opera. Vt causam patefaciat huius commoti stomachi, ita ratiocinatur: Initio piæ fidelium largitiones destinatae ab ipsis fuerunt Nosocomiis, Gymnasiis, & huiusmodi subuentioni pauperum; sed Ecclesiastici sub administrationis obtentu ad se illas traxere, in suos prouentus mutatas. Postea fideles laici condidere noua Nosocomia, noua Gymnasia, ac similia opera in priorum, quæ sibi occupauerant Ecclesiastici, supplementum. Porro hi cum deberent malè ablata ex antiquis restituere, iterum sub fuco procurationis viam sibi aperiunt ad posteriores accipiendas. Num enormius latrocinium fingi posset, si verum esset? Sed hinc certissima quædam consecutiones deducantur oportet. Prima: Tridentinos Patres, qui tale Decretum tam abominandi furti gratiâ concorditer edidere, fuisse conuenticulum quoddam rapacissimorum grassatorum, ab omni fide, honestate, humanitate alienum. Sed huic consecutioni Suauis ipse, sibi contrarius, qualis esse solet mendax, testis oppositus aduersatur. Etenim quoties modò Patres, modò alter ex Patribus repugnarunt sensibus Pontificis, & utilitati Romanæ, eorum animos extollit, sinceramque conscientiam commendat. Et sanè Præsides illi, & magna ex parte etiam Episcopi, perstiterunt apud hominum opinionem tam vniuersali concordique famâ conspicui, vt longè maior quàm Suauis auctoritas, minimi esset ponderis ad nobis persuadendam tantam de illis omnibus improbitatem. Præterea nec fieri poterat, vt Patres ad huiusmodi peruersitatem agendi aspirarent, & ad sua lucra, ipsorum ætate; cum id temporis rerum status is non esset, vt Principes ac populi id passuri crederentur: & Suauis ipse videtur rem lineare tamquam opus adumbratum, longinquâ postmodum ætate colorandum. Hoc posito, aduertendum est, posse quidem reliquarum omnium Rerum-publicarum membra allici ab utilitate ad parandam alienæ rei conuersionem in vsum remoti sæculi, non item Ecclesiasticæ Reipublicæ membra. Siquidem in aliis successores propriâ patriæ sanguinisque coniunctione cum decessoribus connectuntur; adeoque posterorum emolumentum à viuentibus tamquam bonum proprium spectatur: sed in Ecclesiastica Republica Episcopus quispiam nullum agnoscit naturæ nexum cum futuris Ecclesiæ suæ possessoribus, quippe qui ex alia familia, aliaque patria genus trahunt. Quare potius euenire potest, vt inescari se sentiat ab utilitate ad inferendum Ecclesiæ suæ detrimentum, in utilitatem & gratiam laicorum hominum, qui secum sanguine sunt coniuncti: atque huic Ecclesiasticorum

sticorum noxæ, utpote non infrequenti, oportuit occurrere per interdicta, ac per multas. Nec sum infcius, fieri posse, ut vnus aliquis, seu quod mors illi non nisi tamquam remotissima, & quasi per telescopium oculis obuerfetur, seu quod inaniter percipiat superstitem se in populari quadam gloria clarè victurum, seu quod gradum, quem obtinet, immoderatus amet, ex huiusmodi studio non modò feratur in nimia, sed præcipitet in iniusta. Tamen humanæ leges, quippe accommodatæ hominibus obstrictis quidem vinculo, quo licitè agere prohibentur, sed simul liberis necessitate, quâ priuentur arbitrio, non aliâ normâ dirigi possunt, nisi consideratione illius quod probabilius est ex naturali propensione, & quod frequentius est ex consuetudine communi.

7 Sed superuacanea sunt argumenta, vbi patent experimenta. Obseruemus, an centum annorum spatio, postquam Decretum illud editum est, tentauerint Ecclesiastici Nosocomiorum Scholarumque bona huiusmodi vnco ad se pertrahere, an contrà eâ ratione custodita fuerint immunia à frequentibus rapinis, per quas ab infidis administratoribus antea carpebantur. Breuiter: optioni res exponatur, & vrna per manus pauperum, quorum beneficio talia opera sunt instituta, circumferatur; nigrorum calculorum numerus certos nos reddet, num ipsi huiuscemodi Decretum abrogatum velent ob suspicionem, ne prouentus illos Ecclesiastici ad se deriuent ex curatoribus prædatores. Iam verò quoniam Suavis alienam agens personam piâ commiseratione deplorat miseram laicorum seruitutem, quibus hæ sanctiones omnem adimunt facultatem ad pia opera perficienda pro ipsorum arbitratu, sed solùm pro eo ac Ecclesiasticis libitum est; vellem ut percontarentur similiter Nosocomiorum Collegiorumque conditores, an se grauatos sentiant, quòd Synodus per eiusmodi administrationem Episcoporum prospexerit piis ipsorum donationibus, ut à ministrorum fraudibus tutæ sint; an mallent sanctionem illam, utpote ipsorum libertati repugnantem, deleri. Certum mihi est, tum pauperibus, tum conditoribus, non prouidam Tridentini Constitutionem, sed simulatam Suavis commiserationem visum iri crudelem. Ceterùm Cardinalium cœtus, destinatus ad interpretanda, si quæ occurrerint ambigua in sanctionibus Tridentinis, declarauit, locum non esse huic Decreto, eùm in huiusmodi piorum operum foundatione apertis verbis excludatur Episcopus, ne illa inuisat: vbi verò non excludatur, & alij designentur executores, vnicum ipsi suffragium æquè ac illis concedi, ad eò ut pro maiori sententiarum numero damnentur aut absoluantur administrantes.

1562. De præsentibus ac futuris locuti sumus; quid de præteritis alienæ rei occupationibus dicemus, quas pro certo Suavis assumit ab Ecclesia perpetratas sub hoc velamine administrationis procuratorumque eorum operum, quæ in egenorum subsidium sunt instituta? Num fortè succedet huic homini, ut audacia in probationem abeat, adeoque mero ipsius dicto lectores fidem tribuant de illis tam multiplicatis, tamque execrandis rapinis veterum Ecclesiasticorum? Equidem vereor, ne hanc ille fidem assequeretur in multis ob nimiam hominum propensionem ad deteriora quæque credenda de iis, qui vitam probiorem profitentur: vererem inquam, nisi ad primum obtutum falsitas apparet. Quânam hominum ætate reperitur, ab aliqua Circe laicos omnes in caudices transformatos, qui se spoliari sinerent tam multis bonis, in tanta prouinciarum varietate, adeò ut nemo resisteret, aut certè quidquam ex aduerso mussitaret? Parcuntne veteres Historiæ Ecclesiasticorum operibus, an potius pro ea quam modò considerauimus hominum malignitate amplificandis praua, & dubia sinistrè interpretantur? Et tamen de huiusmodi fraudibus innumeris & grauissimis nihil loquuntur. Sed huiusce veritatis certiusne argumentum quærimus? animum cogitationemque conuertamus ad ea loca, in quibus Ecclesiastici maximè liberam dominationem obtinent, adeoque in quibus possent ea bona sibi tutò occupare; & quid ibi accidat offeruimus. Vbi gentium ipsis permitteretur, has pias donationes in suam vtilitatem conuertere facilius, quàm in ea ditione, quæ appellatur, & est in bonis etiam terrenis *Ecclesiastica*, & sub Ecclesiasticorum dominatu? Eam inspectemus, inspectemus Romam ipsius Regiam, & cum reliquis orbis terrarum vrbibus conferamus. Affirmare nil vereor, nullam reperiri ditiores reddituum qui destinantur & impenduntur in sumptus Nosocomijs, Collegijs, Scholis, aliisque pijs operibus suppeditandos ad pauperum subsidium.

Neque sistam in eo probationum genere, quas Scholæ vocant à posteriori, & quæ, tametsi euidentissimæ pateant, minùs tamen obtinent de seueritate scientiæ, ut quæ ab effectis non à causis trahantur: ratiocinationem aliquanto altiùs petamus, atque, ut dicunt, à priori. Si velimus pro certo ponere, eos qui sua bona Deo tradidere, piè prudenterque illa donasse, inducemus in animum, donum ita fuisse ab ipsis collatum, ut solùm subuentioni pauperum confuleretur, neglecto quocumque alio laudabili Christianæ liberalitatis sine, cuiusmodi sunt litteratorum ac virtuti studentium præmia,

præmia, alimenta ac stipendia diuinæ laudes canentium, Præsum Ecclesiasticorum splendor: breuiter, quidquid confert ad conseruandam frequentiam æstimationemque illius Reipublicæ, cuius vnicum munus est cultus, custodia, amplificatio Religionis. Quis vniquam id sibi persuaserit? Cùm præsertim hæc Respublica non sit quædam certa ratio, ab ipsis laicis distincta, sicuti perperam ratiocinantur ij, qui eam student in inuidiam æmulationemque reuocare; sed ex illorum filiis ac fratribus conflata, atque ipso singulis patens, quibus libuerit se in eius album referre. Addo, dum aliis hisce piis operibus consulitur, consuli melius iisdem pauperibus, quàm si cuncta ipsis fuissent à donatoribus destinata. Meum dictum confirmo. Primò, Præfules, viri docti, & Sacerdotes, qui amplè huiusmodi bonis dotati sunt, bonam eorum partem in leuamentum inopum conuertunt, complures ex charitate, alij boni nominis gratiâ, cuncti ob vniuersalem illam necessitatem, quòd cùm diues omnem rem suam nequeat suam in ventrem intrudere, necesse tandem est, eam multos in pauperes disperiat. Secundò; Cùm ipsi concionibus & auctoritate Fidem & immortalis vitæ respectum conferunt, amplificentque, in causa sunt, ne misericordiæ fons vniquam areseat, aut minuatur; quin potius vt noua semper & larga subsidia indigentibus diffundat, tamquam opus tam commendatum in nostra Religione ad impetrandam peccatorum veniam, ac sempiternam felicitatem. Itaque non modò re perpensa ex argumentis, quæ commonstrantur ab ipso facto, longè abest ab Ecclesiasticis omnis suspicio iniustæ occupationis in hoc genere; sed etiam ex rationibus honestatis ac prudentiæ, quæ potuerunt ab initio voluntatem mouere piorum donatorum, credibile non est, ipsorum largitatem ad merum pauperum subsidium fuisse restrictam, quemadmodum pro indubitato Suauis assumit.

10 Pergit referre obiectas capiti sexto accusationes: nam ibi pro certo ponitur, inesse in Ecclesia potestatem voluntates vltimas commutandi. De hoc alibi verba fecimus, vbi videbatur Suauis hanc auctoritatem vniuersè inter mortales inficiari, cùm eam conferret cum potestate auferendi à viuentibus id quod possident; nunc verò ad solos Principes laicos eam coarctat: & liquidò constat de discrimine inter eorum ac Pontificis auctoritatem: quemadmodum illi Dei locum tenent, quatenus illa moderatur homines secundum statum naturalem ac terrenum; ita munus ipsorum est dirigere Rempublicam ad felicitatem naturalem; & ad eorum iurisdictionem attinet, normam præscribere subditorum donationibus, aut

1562. viuentium aut defunctorum, ad hunc finem spectantibus: sed prætereà constituit Deus suum Vicarium generalem, quatenus Deus ipse proprium quemdam hominum cœtum moderatur, cui nomen Ecclesiæ; qui homines per Fidem ac Baptismum capaces effecti sunt beatitudinis naturam superantis, atque cælestis; ac proinde ab huiusmodi Dei Vicario par est dirigi fidelium opera, quatenus ea tendunt in finem hunc celsiorem, adeoque commutari etiam defunctorum donationes eodem tendentes, cuiusmodi sunt omnes piæ largitiones, easque in alia pia opera melius ad idem conducenda transferri. Porro huius potestatis vsus quàm parcus circumspiciendusque sit Romæ, vnusquisque poterit experiri, qui tales ibi commutationes efflagitat.

Postremò narrat Suauis in eo capite, animaduersum fuisse, antiquitus facultatem relaxandi leges penes cunctos Episcopos pertinuisse, sed à Pontifice eam sibi fuisse reseruatam, per speciem quòd rei grauitas id postularet: nunc verò cùm in Synodo statuatur, legum relaxationes à Pontifice eisdem Episcopis committi, satis videri, non alia de causâ illam Pontifici reseruari, nisi vt petitores adigantur Romæ sibi diplomata comparare. Stultam sanè malignitatem: perinde quasi idem foret, cognitionem causæ, & executionem beneficij Episcopo committere, ac eidem relinquere liberam potestatem, quam ipse eâ non reseruata obtineret: vel talpa quidem discerneret ingens inter hæc duo discrimen. Quin certum est, tum priora Pontificum Decreta, sibi eam potestatem reseruata, tum posteriorem Synodi sanctionem mirificè conspirare ad nimia legum laxamenta præpediendâ; quæ sicuti moderatè obstrictoque quasi pugno concessa legem confirmant, dum tolerabilem reddunt; ita sine modo mensuraque profusa venerationem & custodiam, ipsius veluti neruos, illi adimunt. De hoc publico ex ea potestate reseruata emolumento, in memoriam reuocent lectores id quod alibi considerauimus, quò debiliorem penes manum relaxationum clavis habetur, eò facilius ac frequentius eas extrahi quàm fauore, quàm prece, quàm metu; & idcirco benè constitutæ Respublicæ facultatem relaxandæ legis in re graui coarctare consueuerunt ad supremos magistratus; qui vt validiores, ita minùs indigentes, minùsque timidi sunt, adeoque magis inexpugnabiles legum custodes. Neque hoc aduersatur vtilitati sanctionis Tridentinæ, Ordinarios destinantis ad perpendendas exequendasque legum relaxationes; cùm obseruare generatim oporteat, supremum magistratum in vno tantum loco degere, adeoque sicut is longè abest à peculiaribus regio-

regionibus, ita casus peculiare minùs callere, quàm minores magistratus, iis in locis commorantes. Quare quantò minùs cogitur petitorum rationem habere, tantò maiori è conuerso subditur fraudis periculo. Eapropter expedit, vt postquam petitor productis petitionis suæ causis obtinuerit à magistratu supremo legis relaxationem, tamquam rationi consentaneam, positâ expositæ causæ veritate, expedit, inquam, vt hæc veritas expendatur, probeturque coram alio magistratu, qui certiozem de re notitiam habere possit: atque huiusmodi est Iudex, Ordinarius loci. Quàmnam igitur aptiori formâ poterat Ecclesia prospicere custodiæ iurarum legum, suæque disciplinæ, quàm referuatis legum relaxationibus in rebus grauioribus supremo moderatori, hoc est Romano Pontifici, ita tamen, vt tales ipsius concessionem ad veritatem facti discutiendam proprio loci Iudici, hoc est, Ordinario committantur?

12 Duo, tametsi aliò spectantia, tamen vt quæ imprudenter hîc è calamo euolarunt Suauis, nolo vt è manu mihi pariter euolent: etenim scriptor mendax hoc discrepat ab aliis Auctoribus, quòd ratiocinatio inniti debeat in eo quod ipse fortuitò, non consultò dicit. Eorum alterum est, Pontificem iussisse grates agi Oratori Gallico, & Heluetico, & Hispano homini, qui Piscario à secretis erat, quòd acerba Cæsarianorum Gallorumque sensa in cœtu mitigassent; nec minùs Oratoribus Veneto ac Florentino, quòd ibi noluerint interesse, eosdemque simul rogari, vt in posterum interessent, quippe quorum præsentia non nisi prodesse poterat Apostolicæ Sedi, & praua consilia impedire; & à cunctis (sic ait Suauis) *promissa retulit, ita se peracturos; intelligentes, ab obsequio diuino id temporis postulari, vt auctoritas Pontificia defenderetur.* Iam verò si ex mandatis maximorum ac sapientissimorum Principum ita censebant illi omnes Oratores; quæ Suauis temeritas, aut quæ prauitas fuit hominis, vni ex illis subiecti, & stipendio addicti, suum sibi quasi opus proponere euersionem Pontificiæ auctoritatis, conarique non quidem vngues aut capillos refecare in aliquo articulo causarum ad forum spectantium; sed caput ac viscera in Ecclesiæ Principatu, Fideique integritate amputare?

13 Alterum est, Suauis excusatio, hîc initio libri septimi apposita, quòd ipse minutiùs non recensuerit actiones Concilij, ex defectu in plerisque partibus sufficientis notitiæ; qui defectus, inquit, admirationi esse non debet, *nam omni studio à viris perspicacissimis labor omnis impensus est ad cuncta occultanda.* Accipiamus id quod Suauis fatetur, in plerisque partibus monumenta rerum hîc gestarum
fibi

1562. sibi haud innotuisse, quæcumque fuerit causa, de qua infra. Id certe plurimum est ad eleuandam ipsi boni historici auctoritatem. Id ostendet similitudo, quam supra retuli tamquam vsurpatam ab aliis, & alterius rei gratiã. Quemadmodum qui solius manus anatomiam inspiceret, ignoraretque membrorum omnium constitutionem, ne ipsius quidem manus posset reddere rationem, cum illa totius corporis magisterio congruat, adeoque agnosci nequeat Naturæ sapientia in extruenda manu ab eo qui comparatè ad reliquum corpus eam non considerat; quod pariter in ædificiis, & in quouis opificio contingit: ita nequit historicus plerumque peculiaria quædam negotiorum ciuiliū eã formã exprimere, quã illorum honestas aut prauitas, prudentia aut imprudentia palàm fiat, si nesciat ipse, & non exponat reliquas partes integræ rerum tractationis: cum humana opera speciem suam desumant à fine, bonitatem verò aut prauitatem à conditionum omnium societate.

Dum autem affirmat, tanto studio illarum rerum monumenta fuisse occultata, Suauis imitatur hominem, qui obductã illi per noctem ante oculos membranã, querebatur, lucernas sibi ab aliis extinctas. De Concilio ætate Pauli, præter commentarios ab ipso lustratos, supersunt apud complures volumina litterarum Ceruini Cardinalis, litteræ ad ipsum scriptæ à Cardinalibus Farnesio & S. Floræ, Acta Massarelli, qui Synodo à secretis erat, eiusdemque ephemeris, ex quibus nihil ad ipsius oculos peruenit, vt pluribus in locis patefactum est. De conuentu sub Iulio, qui breuis modicique negotij fuit, pauca extant monumenta, præter Acta, compendia variarum inter minores Theologos disputationum, & quædam auctographa litterarum Pontificis ad Crescentium Legatum, quæ cuncta verè admodum recondita sunt, & non modò Suauis ignota; sed postrema, quæ rara sunt, & parui ad rei summam momenti, ne mihi quidem comperta ante primam prioris Partis editionem. Verùm de vltima Pio sedente Synodo, tam diuturna, factisque abundante, habentur in variis Bibliothecis Acta Paleotti, Diarium Seruantij, Legatorum epistolæ ad Borromæum, Cæsaris ad Oratores suos, Fufcararij ad Moronum Cardinalem, Strozzi ad Cosmum Florentiæ Ducem, Seripandi ad Amulium, cum aliis eiusdem narrationibus distinctis, ac plenis, ad primum postremumque conuentum pertinentibus, quibus ille aliã conditione interfuit, nec minùs Acta Salmanticensis Antistitis. Hæc Acta de quibus aliàs mihi fuit habenda mentio ex transcursu pollicito, post ampliorem eorum notitiam, seruantur reipsa in Hispania, & exemplar, quod est apud me,

me, desumptum fuit ex originali, quod penes Aegidium Gonzalez de Auila historiographum extabat: inde exseribendum curauit anno 1622. Dominicus Pimentellus, Castellanae Praedicatorum Prouinciae moderator; qui postea ad Ecclesiam Cordubensem euectus, Catholici Regis Orator ad Urbanum VIII. venit; dein vero Hispalensis Archiepiscopus renuntiatus, ac denique insignitus Purpuram Romam rediit, ad sepulchrum potius quam ad Senatum, paucos intra menses, relictis egregiae pietatis exemplis.

15 Et tamen haec omnia monumenta ignorauit Suauis, ne quid loquar de tot peculiaribus scripturis, spectantibus ad hanc illamve peculiarem actionem Concilij, quae adhuc superstites & adspectabiles, si omnes una componantur, sufficientes utique sunt ad uniuersalem exactamque illius magnae molis effigiem conformandam. Praeterea litteras Iadrentis Archiepiscopi ad Cornelium Cardinalem; haec siquidem in lucem editae reuera non sunt nisi post creationem Alexandri VII. ex dono heredum, sicuti narrauimus. At uero quam facile potuissent Romani Pontifices haec illarum actionum testimonia maxima ex parte suppressere, praesertim cum ea seruarentur penes viros sibi patriam subiectos, & non quasi ex Fiscis metu abscondita, sed studiosis amicis liberè concessa? Neque obteguntur in his humanae quaedam labeculae, quibus inspersi fuerunt aut Pontifices, aut Legati, aut Patres Tridentini, quin nonnullae commemorantur admodum notabiles, quae pro veritatis officio à nobis scriptae sunt, & à Suauis ex ignorantia praetermissae.

Quare adeò ex postulandum ipsi non erat, praecisos fuisse canales, eò quòd animaduertebat, fontem suum identidem aqua carere. Nos uero pergamus narratione palam facere, notitias illius Operis memorabilis haud sepultas latere: illae tamen sepultae, & quotidianae, videntur esse, ex quibus historiam suam Suauis contexit, adeò deprehenduntur & corruptae mendacio, & foetidae malignitate.

Pars III.

Z

CAPVT